



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

LXXX. An vox Meritvm sit vsurpanda vt άΥιοΥράφη?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

IV. DE IVSTIFICATIONE MERITORIA.

QVÆSTIO LXXX.

*An vox MERITI sit usurpanda ut
ἀγιογραφία?*

LVTHERANI, vt Mar. Bucerus in Colloq. Ratisb. negat Scripturam, aut Patres voce Meriti vsos: V-
fos tamen quosdam dura cum catachresi.

CALVINIANI, vt Calvinus Inst. 3. c. 15. §. 2. negat vtendum voce Meriti vel mercedis; dicendum dari abs Deo bonis operibus liberalem remunerationem. Simul acerbè perstringit S. Patres, quod vsu vocis Meriti pessimè consuluerint fidei sinceritati. Itaque dissonat ab Lutheranis verbo; re nihil.

AUTOR. I. Vox Meritum est aptè in Scriptura, Eccl. 16. *Misericordia faciet locum cuique secundum MERITVM operum.*

INSTAT Calvinus non esse vocem Meritum ibi, sed κατὰ ἔργα.

DICO. Hoc idem est: nam reddere alicui secundum opera, est reddere vt meretur. Vnde I Hebr. 13. *Talibus hostijs promeretur Deus ἐναργεστῆραι*, delectatur, placatur, ait Chryl. placetur, ait Oecumenius. Calvinus; placetur ijs Deo; non tamen rectè vocatur meritum. At qui facit placitum alteri, benè meretur de eodem.

II. Vox meriti deducitur è Scripturis, vbi dicitur ἀξία meritū, ἀξία δὲ βῆσαι mereri. Vt 2. Thes. 1. *Vt digni habeamini regno Dei.* Apoc. 3. *Ambulent mecum in albis, quia digni sunt.* Apoc. 16. *Dedisti eis Sanguinem bibere; digni sunt enim, id est meriti sunt.*

III. Vox Mercedis frequens est Scri-

ptura: Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis.* 2. Paral. 15. *Confortamini; erit enim merces operi vestro.* Sap. 5. *Apud Dominum est merces eorum.* Mat. 5. *Merces vestra copiosa est in cælis.* 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem habebit.* Apo. vlt. *Ecce venio cito, & merces mea mecum.*

QVÆSTIO LXXXI.

An opera iustorum sint aterna vita meritoria?

LVTHERANI principio contemptim declamabant de operum meritis; post bifariam temperarunt in Confess. Aug. & Apolog. art. 10.

1. Opera bona esse meritoria, hic & isthic, temporalium & spiritalium; sed non vitæ aeternæ.

2. Esse meritoria, sed non ex sese vt iustis; sed ex fide, Deique liberalitate, regentis nostram in dignitatem & operum.

CALVINIANI in Harmonia Confessionum Geneu. & apud Scharpium aiunt: Nos omnibus nostris meritis in opere iustificationis & salutis renunciamus; & solum Christi meritum tale esse, vt iustificationem efficiat, & vitam aeternam, asserimus. Dicimus ergo, opera in conspectu Dei nec ex congruo, nec ex condigno vita aeterna esse meritoria.

CALVINVS Inst. 2. ca. 1. §. 9. Inst. 3. ca. 15. §. 3. In Anid. sess. 6. c. 14. & c. pro fundamento ponit, pec. or. manere in iustis cuius tunc omnia opera inficiantur, vt sint damnabilia.

SVADENT istis. 1. Psal. 102. *Coronat te in misericordia.* Mat. 5. *Misericordes misericordiam consequentur.*

2. Isa. 55. *Emite absque vlla commutatione vinum & lac.* Dan. 9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras; sed in miserationibus tuis.*

3. Luc. 17. *Cum feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus.*

4. Rom. 6. *Stipendium peccati mors; gratia Dei vita aeterna.*

5. Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius.* & c. Phil. 3. *Inueniar non habens meam iustitiam, qua ex lege est; sed illam, qua ex fide est Iesu Christi.* & c.

6. Rom.